

Q. D. B. V.

De

# POTESTATE IMPERANTIUM

ad actus suâ naturâ illici-  
tos se non extendente,

*disquirere constituit,*

LOCUM

Ab Ampliss. PHILOSOPHORUM ORDINE,  
benevolo atque unanimi suffragio sibi collatum,  
vindicaturus

M. NATHANAE L. Falck /

Gedanensis,

RESPONDENTE

ALEXANDRO FRIDER. BOHEMANN,  
Oldenburgo-Frisio,

*In Auditorio Majori,*

*d. XX. April. St. V. A. O. R. M. D. C. XXCIIX.*  
*Horis matutinis.*

Coll. diss. A WITTEBERGÆ,  
32, 13 Prae lo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

31.

a. XXXII. 13.





## *Q. D. B. V.*

### *§. I.*

**N**on diuturna nimis annorum elapsa series est, quando periculi nō minus quam difficultatis plenæ **Qvæstiones** de Principum Majestate enatae, hominum plurium ingenia in quæ nescio præcipita sententiarum mirum in modum pertrahere coeperunt; quæ tandem eò usque insaniz progressa sunt, ut de Regum atqve Principum Capitibus Comitia instituerentur, ab omni, si fieri posset, potestatis culmine summos Imperantes deturbatura. **Qvod** institutum ut maximè tale esset, à qvo ipsi Naturæ ac rectæ rationi bellum indici videbatur, qvodqve in extremam tandem Societatum humanarum perniciem indubitatò desinere poterat, inventi tamen sunt Viri cætera docti & celebres, qui propalatis hinc inde scriptis, seditioni fœnum atqve cannabem supposituris, classicum canere in re pessimâ, populumqve jam tum furibundum, atqve in Principum necem inhiantem armare impudentissimè, nulli dubitarunt. In quorum censum si Marium Salamonium, (a) Virum, Tiraqvello Judice planè juris & humanitatis doctissimum, eoque priorem Marsilium de Menandrino, Patavinum, (b) referre non debeo, ex subsequentium tamen serie non possum non compellare Georg. Buchananum, Scotum, sui Seculi Poëtam facile Principem (c) personatum Steph. Jun. Brutum (d) (qvm Phil. Mor-

A 2 naum

(a) in L. de Principatu. (b) in defensore Pacis. - (c) in Dialogo de Jure Regni Scottie. (d) in Vindic. contra Tyrannos.

nāum Plesiacūm esse autumat Grotius , (e) H. Langettum ve-  
rō Bœclerus (f) ) Johannem Boucherium (g) Franc. Hoto-  
mannum , (h) Phil. Hœnonium , (i) Gvih. Rossæum s. Wilh.  
Giffordum ; (l) & qvos primò omnium referre debuisse , Joh.  
Althusium , Reip. Embdensis Syndicum , Artis seditiosæ Methodi-  
stam , (m) & Joh. Miltonum , (o) Parricidii Anglicani in Regem  
commisi advers⁹ Salmasiū defensorē; Addo & Lamb. Danæū (p)  
atqve Dav. Pareum. (q) (cujus Comm. in Epist. ad Rom. jussu Ja-  
cobi VI. Oxoniæ per carnificem tanq̄am seditionis veneno infe-  
ctus publicè eineribus datus est ) Conf. Conringius , (r) & Ex-  
cell. DN. RÖHRENSEE , Præceptor noster & Patronus observan-  
tissimè colendus. (s)

§. 2. Imò verò si standum est hujus Sectæ placitis' , jam  
tum à populo venisse summam rerum ; ad eundem , si fato deficiat  
Princeps , redire , & si is forsan malè imperet , à populo posse coēr-  
ceri , puniri , atqve exui imperio ; existimare debemus ; Qvo ad-  
missio actum est de Imperio omni Politico , qvo cum necessariò  
conjuncta esse debet obligatio non resistendi , nisi precarium illud  
efficere atqve elusorium volueris . Neqve amplius inviolabile est  
summum stud regendi subditos fastigium , qvod verò omnes in  
Orbe gentes , barbaræ etiam , sanctum esse voluerunt , eum qvo ex-  
periri nemo in judicio unq̄am ausus fuerit : Nihilqve est , qvod  
sibi persuaderi à sapientissimo Rege , Alphonso , patientur Princi-  
pes : Regum animas non privatorum libidini subiectas . sed sub Dei  
curâ & tutelâ sacras letasque agere . Conf. qvi prolixè Mo-  
narchomachorum studiis obviam iverunt , præter celeb. Salma-  
num , Barclajus , (t) Albericus Gentilis , (u) Arnisæus , (x) Bœ-  
cle-

(e) in Apol. contra Rivetum. (f) ad Grot. L. 1. c.  
4. §. 6. (g) de justâ Henrici III. Abdicat. è Regno Fran-  
corum. (h) in Francò - Galliâ & L. de Jure Regni Gallici.  
(i) in Disput. Polit. (l) L. de Vindict. Reip. Christ. adv. Reges  
impios & heret. (m) in Politicâ Methodicè digestâ. &c. (o) de-  
fens. pro Pop. Angl. (p) in Polit. Christ. (q) Comm. in C. 13.  
ad Rom. Dub. 4. prop. 3. & 4. (r) de Summ. Poteſt. ſubiecto §. 2.  
& 3. (s) in Disp. de Sanctit. Princip. §. 6. (t) Tr. de Regno &  
Regali poteſt. (u) de vi in Principem ſemper iuſtitâ. (x) de  
Jur. Maj. L. 1. c. 3.

clerus, (y) Magnif. Dn. Zieglerus; (z) Grasyvinckel, (a)  
Grotius ipse (b) atque alii complures.

§. 3. Sed quemadmodum ad orcum meritò relegata cor-  
dationibus turbulentia opinio est; ita vellem omnino, non tanto-  
perè blandirentur alii Solis Regiis atque Principum Majestati, ut  
profiteri non dubitent, à nemine coerceri posse Imperantium  
quocunq;e enormiter agendi studium; quin his tandem modò  
non omne, quod libitum, licitum etiam concessumq;e esse. Vi-  
derunt illam Seculi non unius labem Viri ingenui, & qui Princi-  
pum saluti solidius supponere fundamentum satagebant. Neq;  
ego tacere possum, quod mirari subeat, Trajanum etiam Boc-  
calinum voluisse, ut Casus Conscientiae Principibus fermentur  
ex historiâ recentiori in pr. eruti, quo discant ipsi, rectè agere, Si-  
big, perspadeant, infernum tam Viris Principibus, quād rustici pa-  
ratum, noctes atque dies patere. (c) Cum quo plane consentientem  
deprehendo celeb. Forstnerum, qui Libros informatorios Con-  
scientiæ, quos hactenus pietas Virorum insignium exhibuit,  
rem profectò sanctissimam esse dicit, sed quæ hoc habeat imperfe-  
ctionis, quod privatorum ferè Conscientiam attingit, Regum trans-  
mittit. Operæ pretium esset, inquit, docere magnos homines, Di-  
vinas Leges etiam ipsis latas, & inferorum sedes non plebeja tan-  
tum sclera, sed Regum etiam ambitionem & avaritiam exspectare.  
- - - Nimirum pro ciconiâ pietatis, & hyppopotamo, Justitiae ty-  
po, quæ duo Ægyptiorum Regum sceptra insigniebant, vulpes & leo,  
frans, & vis, sceptra ferè regere solent. Ut non insubtiliter Saty-  
ricus Leges olim sanctissimè habitas, honestè vivere, alterum non  
ludere, suum cuig; tribuere, non minus quam Legem Eliam, Sen-  
tiam & Juniam Norbanam prorsus bominum moribus sublatas esse  
dicat; mireturq;, eas non inferras esse Legum abrogatarum li-  
bris. Nec minus argutè aliis, qui sapientum de honesto & turpi,  
de Virtutibus & vitiis sententias similes esse dicit veteristi operis nu-  
mismatis, quæ quamvis magni astimentur, non tamen contrarium

A 3

b 4

(y) ad Grot. p. 225. sqq. (z) de Regic. Angl. it. ad Grot.  
p. 129. (a) in stricturis ad Censur. Felden. (b) de J. B. &  
P. L. I. 4. 3. §. 3. sqq. (c) in Lap. Lyd. Relat. 24.

*humanorum instrumento funguntur.* *Enimvero tantum abest,*  
*ut Conscientiam informare Principum, & ad honesti atque justi*  
*rationes ducere instituerint complures, ut, quando de Principum*  
*Potestate disquirendum erat, limites illi omnes & repagula Offi-*  
*ciorum boni Principis solvere conati modis quibuscumque fuerint.*

**S. 4.** *Cui rei binos suppositos fuisse cuniculos existimat*  
*redebeo, quorum alterum, eundemque periculosisimum instru-*  
*xit Malmesburiensis Philosophus, Thomas Hobbes; ille in eo tor-*  
*tus, ut quodam Juris atque aequitatis involucro venenum tege-*  
*ret, eamque Principibus impertiretur Potestatem, quae omnes ho-*  
*nestatis Leges revera transgrediens, justi tamen observationem*  
*exactissimam mentitur. At alterum suum fecerunt, qui Floren-*  
*tini Doctoris vestigia prementes, ex quodam Prudentiae Lege fo-*  
*res omnes Libidini Imperantium laxare, illisque omnem flagi-*  
*tiorum licentiam impertiri non uno opere studuerunt. Ex qui-*  
*bus vix ullus existit, qui pessimam causam ornare magis voluit*  
*potuitque, quam Gabr. Naudaeus, Philologus, judice Lansio, (e)*  
*undi quaque eruditissimus, sed non aequi pius atque prudens Phi-*  
*losophus: Conf. Scriptu, (c) duodecim tantum volumina primum*  
*impressa sunt, quodque inter rarissima habitum est, donec in Bel-*  
*gio, deinceps in Germania, sed cum Comm. Gall. cuiusdam Lu-*  
*dov. du May. ederetur) cuius inscriptio ex Versione Christiani*  
*Rysselii, ita habet: Politisches Bedenken über die Staatsstreiche;*  
*ubi recte estimat celeb. Dominus L. Otto Menckenius:*  
*(f) Scriptum hoc esse nulli ejusdem argumenti secundum, si Pie-*  
*ratem aequi redoleret ac ingenium. &c. Neque tamen à Naudaeo*  
*hic separandus est, quem ipse tantoper extollit, seq; non parum*  
*de illo mutuatum esse facetur, Federicus Bonaventura, nobilis*  
*Urbinas; (g) nec non Cardanus, homo melancolici, sed per-*  
*spicacis & quodammodo divinatorii Judicii. (h) Quibus nescio*  
*an Justum Lipsium adjungam, modestiorem quidem in incru-*  
*standa sententia, non tamen excusandum penitus; (i) quod*

*(d) ad Ann. Taciti 3, 26, 3. (e) Orat. pro Gall. (f) in*  
*Progr. ad Orat. Prof. Moral. auspicatoriam invitante, Ao. 1669.*  
*(g) Conf. Naud. in Bibliogr. Polit. p. m. 49. (h) in Proxeneta,*  
*& de Utilitate ex adversis capienda. (i) Conf. Lips. Pol. L. 4.*  
benè

bene attendit, Virumque castigavit egregie insignis Boeclerius.  
(1) Atque verò hi ipsi sunt, cum quibus impræsentiarum serram  
disceptandi reciprocare institutum est, atque ostendendum adeo,  
quod Potestas Principis (h. e. facultas moralis ejusdem ad aliquid  
agendum in Republ.) non ad actus illicitos, eosq; suā Naturā ta-  
les, (h. e. qui sui prohibitionem haud ex hominum arbitrio, sed  
ex immutabili divinoque Naturae inpr. Lege mutuantur) exten-  
di possit.

§. 5. In quo opere cùm prima nostra de Hobbesii placi-  
pis cura esse debeat, ipse advocandus erit in medium, ne causā  
cadere à nobis non auditus, videatur. Atque ille quidem (li-  
ceat enim mihi sententiam Viri è suis fundamentis eruere) ho-  
mines primò in statu Naturae considerat, deinde in Regimine Po-  
litico constitutos. Qyod ad Naturae statum, homines attendi  
vult, non aliter, tanquam si essent jamjam subito è terrā fungorum  
more exorti & adulti, sine omni unius ad alterum obligatione.  
Cumq; in hac conditione positi obligentur omnes ad sui conservatio-  
nem; (n) & verò frustram Jus ad finem habeat, cui Jus ad media  
necessaria denegatur. (o) hinc factum esse, quod Natura homi-  
nibus illis singulis Jus dederit in omnia, quō unicuique liceat possē-  
dere, uti, frui omnibus, quæ volbat & poterat. (p) Ubi verò,  
quando impossibile est, omnes eadem re ex voto frui, & tamen  
multi eandem rem simul appetunt; (q) inde omnibus in sta-  
tu Naturae Voluntatem laedendi, ferocibus quidem ex inani virium  
affirmatione, modestis verò ex necessitate res suas & libertatem  
contra hos defendendi. (r) Quo supposito conditionem hominum  
extra Societatem Civilem aliam non esse putat, quam bellum o-  
mnium contra omnes, atque in illo bello Jus esse omnibus in omnia:  
(s) Quorsum & homo in illo statu non obligetur nisi ad sui con-  
servationem; in qua parte si officia sua erga ceteros homines ad  
conservationem propriam necessaria non viderit, omnino modā Legum  
Naturalium violatione teneatur. (t) Neque enim existimam-  
dum

- (1) Dissert. de Polit. Lipsii c. 5. (n) ibid. c.  
I. §. 7. (o) ib. §. 8. (p) in Pref. ad Lett. & c. §. 12.  
I. §. 7. (q) c. 2. §. 6. (r) c. 1. §. 4. (s) Pref. ad Lett. & c. 1.  
(t) in Not. ad C. 2. §. 1.

dum esse, Legem Naturae aliud quid, quam dictamen rectera-  
tionis esse, circa ea, quae agenda vel omittenda sunt ad vi-  
ta membrorum conservationem, quantum fieri potest, diu-  
turnam. (u) Cum verò sempiternum bellum parùm idoneares  
sit ad conservationem vel humani generis, vel unius cuiusq;  
hominis, binc naturali necessitate, quā unusquisq; sibi bo-  
num appetit, è tali statu exeundum, & querendos esse so-  
cios. (x) Hanc ergo Regulam: Quærenda est Pax, ubi habe-  
ri potest; ubi non potest, quærenda sunt belli auxilia; pri-  
mum recte rationis dictamen esse, (y) à quo deinde aliae  
derivantur. Cum verò nemo obligatus sit ad Leges illas  
Naturæ, nisi & ab aliis, cum quibus vivit, exerceantur;  
(z) Hinc tandem ex mutuo metu in societatem civilem ho-  
mines coire, in certa quædam pacta consentire, & ut pœnæ  
metu, ne iterum dissentire velint, prohibeantur, unius se  
hominis vel Concilii Voluntati subjicere debuisse. (a) Qvod  
quando fit, transferre illum, quis subjecit voluntatem suam  
alterius voluntati, in illum alterum Jus virium & facul-  
tatum suarum; ut, cum ceteri idem fecerint, habeat is, cui  
submittitur, tantas vires, ut terrore earum, singulorum Vo-  
luntates ad unitatem & concordiam possit conformare.  
Unione autem sic facta appellari Civitatem, quæ sit Perso-  
na una, cuius voluntas ex pactis plurium hominum pro Vo-  
luntate babenda est ipsorum omnium. (b) In quā Civita-  
te Homo ille, vel Concilium illud, cuius Voluntati singuli  
Voluntatem suam subjecerunt, SUMMAM POTESTATEM  
sive SUMMUM IMPERIUM sive DOMINIUM dicitur. (c) Esse autem  
Summum Imperium, quo majus ab homine jure conferri non potest,  
sive quo majus nemo mortaliū habere potest in seipsum. Imper-  
rium autem, quo majus ab hominibus in hominem, transferri non  
potest, vocari ABSOLUTUM. (d) Hoc igitur Imperium posse  
omnia

(u) c. 2. §. 1. (x) c. 1. §. 12. (y) c. 2. §. 2. (z) c. 5.  
§. 1. 2. & c. 3. §. 27. (a) c. 5. §. 4. 6. 7. (b) c. 5. §. 8. 9. (c) c.  
§. 11. (d) c. 6. §. 13.

mnia impunè facere. (e) Ejus esse, communes omnibus exhibere Regulas seu mensuras, & publicè eas declarare, qvibus unusquisque sciat, qvid suum, qvid alienum, quid justum, quid injustum, quid honestum, quid in honestum, quid bonum, quid malum appellandum sit. Regulas autem seu mensuras illas vocari solere Leges Civiles seu Leges Civitatis. (f) Ideoqve quod Legislator præcipit, id pro bono, quod vetuerit, id pro malo habendum esse. Legislatorem autem semper eum esse, cuius est in Civitate Imperium Summum, b.e.in Monarchiâ Monarcham. Qvoniam autem Regum sit discernere inter bonū & malum, iniqvas esse illas, quanquam quotidianas voces: Regem esse, qui rectè facit, & Regibus non esse obtemperandum, nisi justa præceperint, & alias similes. Ante Imperia justum & injustum non existere, ut, quorum natura ad mandatum sit relativa, actioq; omnis suâ naturâ adiaphora. Quod justa vel injusta sit, à Jure Imperantis provenire. Reges igitur legitimos, quae imperant, justa facere imperando, quæ vetant, vetando injusta. (g) Neque jam ab habente summam Potestatem ulli fieri posse injuriam. (h) Neque Naturali, sed Civili Lege determinari, qvid in Cive furtum, qvid homicidium, qvid adulterium: (i) Qvin & illa Præcepta: Hongrem Parentibus, Legibus definitum non denegabis; Hominem, quem vetant Leges occidere, non occides: Legibus vetitum concubitum fugies; Rem alienam Domino invito non auferes; Leges & Judicia falso testimonio non frustrabere, esse Leges Civiles. (l) In quas vero quia soli Summæ Potestati Jus concessum est, Doctrinam seditiosam esse, si quis dicat, Bonarum & Malarum actionum Judicem esse Civem privatum quemlibet. Pariter, Doctrinam esse, quæ Obedientia Civili repugnat, quod, quicquid faciat Civis quicunque contra Conscientiam suam, Peccatum sit: (m) Imò vero si jubeamur à Principe nostro legitimo, dicere, quod non credamus in Christum, obediendum illi esse, eò quod vox hominis res externa sit, neque significare obedientiam profertenis posse, magis, quam aliis quicunque gestus corporeus. (n).

## B

## §. 6. Hæc

(e) ibid. (f) ib. §. 9. (g) c. 12. §. 1. (h) Leviath. c. 18. (i) de Cive c. 6. §. 16. (l) c. 14. §. 9. (m) Leviath. c. 29. & de Cive c. 12. ff. 2. (n) Leviath. c. 42.

§. 6. Hæc tandem est illa Hobbesii Philosophia, de qua  
scil. gloriari ipse poterat : *Physica res novitiae est.* Sed *Philosophia Civilis* multò adhuc magis, ut quæ antiquior non sit Libre, quem de *Cive* ipse scripsi. (o) Hæc est, verbis ipsius autoris utor, genera-  
tio magni istius Leviathanus, vel, (*reverentius loquendo,*) mortalis  
istius Dei, &c. (p) Ego verò adeò hæc absurdum aestimo, ut homi-  
nem insanienti suæ sapientiæ relinqvendum cum Conringio, (q)  
arbitrarer; à quo certum est, ipsi Deo & Scripturis injuriam fie-  
ri; judice Bœclero (r) nisi impudens illa licentiosissimæ Pote-  
statis Imperatricis assertio pro instituti ratione confundenda ac  
eliminanda esset. Ubi tamen non id omne movebo, quod pro-  
lixè hactenùs, cùm omnia individuali nexu ab ipso fundamento  
usque pendeant, pertexere omnino debui; quis enim hoc Augiæ  
stabulum expurgandum penitus sibi sumat? Levi digito unum  
alterumve tangam, ex iis quæ radicis ad instar sese habent, quan-  
tum ad asserendam illam Princípum illimitatam Potestatem,  
hanc deinde, quod usque se extendat, cum Hobbii repulsione stu-  
diosius excussurus.

§. 7. Valeat verò irrationalis ille Naturalis status, quia-  
lis non homine dignus est, sed belluis aptior, quærum Natura ratio-  
nem & orationem ignorat; arbitrio Bœclero; (s) qui ad statum  
civilem eam habet proportionem, quam cupiditas ad ratio-  
nem, vel bellua ad hominem; quod ipsi ejus fabricatori nullo ne-  
gotio credimus. (t) Imò verò Originem humani generis, quam  
homines & Christiani novimus, impugnas Hobbesi, si mortales  
unquam in ejusmodi vixisse Naturali h.e. hostili conditione ti-  
bi imaginaris. Anne Deum (extra quem nullus certè Deucalion  
exsurgere fecit homines jactis lapidibus, quos forte, quam pri-  
mum nascuntur, projiciat alter in alterius caput, ut bellum fiat,  
& ad certamen se conferant universi) non voluisse credis, ut ad  
Normam Metamq; suæ Sapientiæ, suæq; Bonitatis homo conder-  
etur? quod si est, esse autem secus non potest, eo quod, quicunq;  
tandem ratione imbutus est, ad aliquam metam agit, quando a-

(o) Epist. Dedic. Elem. Philos. de Corpore. (p) Lev. c. 17.  
(q) t. ult. de Civili Prudent. inf. (r) in Proleg. Grot. p. 52. (s) in  
Grot. proleg. p. 30. (t) Hobb. c. 7. de Cive §. 19,

git; Deus autem ad perfectissimam & sibi maximè propriam: qvis credat, hominem bello natum? qvis non magis vi Divinæ bonitatis ad felicitatem in statu tranquillo obtainendam, qvalis intra Societatem est? Ad quam verò Societatem si appetitus naturalis (qui procreationi sibolis intendit, quæ absqve sociâ fieri non potest; qvod nescio annnon ipse tandem Hobbes agnoscere cogatur (u)) si benigna Mater Natura, (suppeditando omnia ad colendam Societatem adminicula) si denique indigentia humana, (quam non Viri, sed infantes nascimur, ut vel ab incunabulis discamus citra mutua auxilia neminem in spem nanciscendi beatitudinem posse induci) nos invitat, ecquis bellum homini Naturale, ingenitumque erga alterum odium nocendi que libidinem, magis quam socialem Vitam dixerit. Hanc statue, & verò Jus in omnia competere à Naturâ unicuique non poterit, nisi hoc asserto omnis Socialitatis, & Civitatis adeò, Jura eversum ire desideras. Id eqvidem largior, Jus Naturæ ita esse comparatum, ut commodum humani generis promoteat, quo ipso Juri etiam Civili occasionem dedit, ut tamen idem illud exigat, alienis imminere commoditatibus, qvò nos saltem vivamus rerum omnium abundantiam affuentes, nunquam concedendum est. Sanè si Jus omne Naturale utilitate sola, eaque propriâ metiri fas est, nec quicquam præter commoda nostra volunt Naturæ Leges, is negliget omnes & perrumpet, qui sibi quamcunque rem fructuam fore putaverit. Quæ enim propter utilitatem solam constituantur, utilitate aliâ convelluntur. Sic tandem licebit nescio qvod delictorum genus erga ipsos quandoque parentes exercere; justè damnatus ad mortem se jure defendet cum offensione Judicis, aut ministrorum Justitiae; item ex ergastulo si qui aufugerint, aut Dominum suum interfecerint, jure & justè facient; & qui ad vitam suam conservandam alteri innocenti mortem infert, nullius criminis reus erit; imò tandem licebit ipsius Dei interturbare culkum; verbo: jurare in Virtutum optimarum detestacionem. Qvare distingvenda h. l. sunt prima Naturæ, (ut loquebantur Stoici,) quæ simul ac natum est, appetit animal ad sui conservationem, & fugit ea etiam, quæ interitum afferunt, ab

B 2

ipsâ

(u) de Cive c. i. §. 2. in annot.

ipsâ Lege Naturali, qvâ præcipiuntur honesta, turpia verò & injusta prohibentur; atqve hoc modo demum recte habebit utilitatis illud omnibus innatum studium. Neqve jam erit, qvod omnes homines hostes tibi singas, pro suâ utilitate tantum, cum aliorum perditione excubias acturos; unde metus tandem in Societatis consensionem adigere imbecilles potuerit, ut Leges Naturæ ad propriam conservationem pertinentes h. m. tutius observare liceat. Etenim semina illa amoris, æqui item atqve boni, qvæ con-nata omnibus esse fateri cordatoribus qvibuscunqve necessum est, tale qvid præsumere de aliorum malo nocendi studio vix ac ne vix qvidem permittunt; maximè, si nihil adhuc egerunt unquam, unde illorum in nostram læsionem proclivis animus deprehendi posuit; qvode differentem vide Magnif. Dn. ZIEGLERUM (x) & Scharrockium. (y) Ego verò non defuturos unquam autumaverim, qvi eâ laude digni sint, qvam Tacitus illis Germaniæ populis tribuit, qvi Chauci ab eo appellantur. *Populus inter Germanos nobilissimus, inquit, quique magnitudinem suam malit justitiam tueri, sine cupiditate, sine impotentiâ. Quiet, secretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur, idque præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod ut superiores agant, non per injuriam assequuntur.* (z)

§. 9. Ecquid ergò tandem est, qvod, ut monstrorum etiam illum Civilem natum, qvi Naturalem subseqvitur, credamus, nos posuit inducere? Equidem Hobbes primus non est, qvi metui hominum segregum adscribere originem Societatum instituit. Nam, ut alios libenter taceam, H. Grotius, sui qvamvis oblitus, notandum esse monet, primò homines non Dei præcepro, sed sponte adductos, experimento infirmitatis familiarum segregum adversus violentiam, in societatem Civilem coisse, unde ortum habet potestas Civilis &c. (a) cui pollicem in hoc asserto premere videtur, qvamvis alijs parum hic sibi ipsi constans, Boxhornius; (b) nec in diver-

(x) in Not. ad Grot. p. 213. (y) de Off. c. 3. n. 12. p. 101.  
(z) Tacit. de Mor. Germ. c. 35. p. m. 669. (a) de J. B. & P. L. i. c. 4. §. 7. (b) in Not. ad §. 1. c. 2. L. i. Instit. Polit. (u)

diversa abit Johannes Mariana. (c) Sed ut, qvod res est, fatear, vi-  
dentur hæc, qvæ de metu tali afferuntur, ex illo esse causarum ge-  
nere, qvod Occasionis nomine aliquando venire solet, & ad agen-  
dum animum impellit. qvidem, cæterum ab Efficiente diversissi-  
mam naturam habet. Imò tantum abest, ut vel imbecillitas fami-  
liarum metusqve in vitâ solitaria, vel utilitatis etiam cupido, (qvam  
jungit Boxhornius) Imperiorum causæ sint, ut ne qvidem Civitati  
originem dedito pro certo habendum sit, qvam à Naturâ, hujus-  
qve Autore Deo, qui media socialis vitæ suppeditando finem, et  
iam qvoad perfectissimam Societatem, voluisse debuit, deduci o-  
mniñ censem est. Sed Hobbes tamen, cui non raro aliás  
Civitatis & Imperiorum originem confundere satis absurdè pla-  
cuit, proximiorem adhuc aliquem, sed qui à metu proficiscatur,  
stabiendi Imperii modum asserit. Ubi quidem in eo cum pluri-  
bus consentit, qvod Principem aut Concilium, qvod appellat, à  
populo accipere Majestatem arbitratur, in declaratione tamen fun-  
damenti in tantum suus est, ut ad Pactorum virtutem configiat,  
qvibus conferatur Imperium; (qvamvis mox iterum sui oblitus  
videri posse (d)) Sed, qvemadmodum cum præsentissimo Impe-  
rii periculo Autor Imperii populus constituitur, aptissimâ sedicio-  
ni, (qvam tantopere cavisse Hobbius ubique videri vult) senten-  
tiâ, qvæ Majestatem, qvoties plebi displicuit, ex facili evertat:  
ita cùm illud singulorum Pactum parum testatæ veritatis sit, &  
illa voluntatis submissio, (præterqvam qvod juxta fictionem  
Hobbi servitutem præfert rigidissimam, in qvam consentire pri-  
mos Civitatum Conditores voluisse nūnqva statuendum vide-  
tur,) apud rerum etiam Scriptores, qui initia Civitatum tradunt,  
nullibi memoretur, vix est, ut Imperii fundamentum tutò hic qvæ-  
ri posse arbitremur. Id non negaverim, intercedere nonnun-  
qvam pacta, secundum qvæ Subditus jurat fidelitatem; sed hæc &  
Imperium & Obsequium Subditorum non præcisè efficiunt. Non  
est alius Princeps, qvia pacto se ei submisserunt alii, sed qvia à  
Deo Principatum habet, ideo alter subditi detrectare partes absqve  
injuriâ in Supremum Imperantem redundaturâ, non potest. Nec  
est alius vicissim Subditus, qvia jurat, sed qvia subditus est, ju-

B 3

rat.

(c) L. i. c. i. Inst. Reg. (d) Lev. c. 18.

gat. Modus conferendi Imperii, & constituendi Subditum cum Causâ Imperii & Obligationis minimè confundi debet.

§. 9. Sed admittamus etiam tandem aliquod Civile Partea, id nunquam Hobbes concesserim, quod hujus pacti tanta esse vis possit, quæ omnem Subditorum voluntatem ita uni adscribat, ut agendi libertas omnis in Actibus Deo & Naturæ Legi debitis populo eripiatur, Summaqve Potestati non Summum modò, sed Absolutum (quæ duo perperam confundit Hobbesius) præcipiendi jubendiqve, quicquid voluerit, Imperium, idque nullâ unquam injustitiae notâ reprehensibile, adscribat. Sed verò hîc, quia res propriè nostrum institutum tangit, altius quodammodo Potestatis Principum fundamenta nobis rimanda atque examinanda sunt. Superioris autem Jussa alias ad facultatem Legislativam referunt Politici, quia Legis vim habent; quod non inconcinnè dicitur. Examinantibus verò materiam, circa quam Legislator occupatur, condendo Legem, appareat eam imere civilem esse, unde resultant ejusmodi Leges, quæ ex Voluntario Jure, h. e. Civili, & partim Gentium, nascuntur. Hæ de talibus constituuntur negotiis, quorum natura indifferens est, h. e. neque justa neque injusta; post Legem verò ad Reip. commodum latam, jubendo sunt justa, vetando injusta. Jam illud fatendum est, quod porrigitur ad omnia voluntaria ea Potestas Legislatoris, ut præcipere possit liberas actiones, ut prohibere, quæ suâ naturâ prohibita non sunt. Imò hîc Majestati libera relinquitur facultas variandi tollendiqve pro iubitu, quicquid displicuerit. At verò Jus Naturale, quod complectitur suâ naturâ necessaria, manifestam vel turpitudinem vel honestatem adjunctam habentia, non subjicitur humanæ Nomothesiæ. Impressit ipse Deus eam Normam hominum animis, & inspiravit Prudentiam; quâ licet à malis bona discernere, quâ jubemus quoque, hæc facere, illa omittere. Non exspectatur itaqve in talibus Majestatis Jussus & Dispositio. Negari quidem illud non debet, Naturalia Praecepta in Legibus Civitatis alicujus occurere; verum hæc confirmative & approbativæ, non effectivæ sanciuntur. Unde Legis Naturalis Praeceptum à Praecepto Observationis, quod confundit noster etiam Hobbesius, bene discernendum est. Princeps

non

non condit primus Legem de non occidendo, de non committendo adulterio; sed jam conditam à Deo, & omnium cordibus innatam observare jubet; idque jussam non ad placitum propriæ voluntatis proponit, sed tenetur promulgare, & ipse quoq; huic Juri subesse. Qvod non est, ut absq; ratione dictum putet Hobbesius, qvi id meminerit, Principem Dei Vicarium non habere potestatem majorem Principali. Concedidit eqvidem Principi summam Potestatem Deus, eā tamen Lege, ut retineret simul ipse eandem, & ne qvid ille contra Autorem suum ejusq; Leges perpetuò valutas auderet, qvin ipse iis Legibus subiectus esset. Hinc patet, Juris Naturalis edicta, qualia sunt, qvæ honestatem aut turpitudinem includunt, nullo modo posse mutari, multò minq abrogari per Imperantem; qvin poti⁹, qvoties in honestum vel injustum qvid mandatur; contra Naturalem Legem, qvæ à Dei solius, supremi nempe Magistratūs, Voluntate dependet, insurgit Princeps. At illud jure non potest. Qvod autem jure non potest, id planè non posse intelligitur.

§. 10. Eqvidem, sit qvi existimet, id Hobbeo obicēm ponere non posse; ille enim fatetur: Qvod Lege Divinā prohibetur, Lege Civili permitti non potest, nec qvod Lege Divinā imperatur, prohiberi potest Lege Civili. (e) Sed vellem, melius sententiam suam declarasset, qvid tandem sit, qvod sub Divinæ Legis nomine intelligit. Aut enim, lādere alterum innoxium, qvod Principi hinc inde concedit, non est prohibitionis Divinæ, aut Princeps secundum Hobbiūm utiqve potest contra Legem Divinam. Qvod si verò de Naturalibus Præceptis ipsi sermo est, fatetor, non uno loco Hobbiūm negare hīc Principi omnem ferē Potestatem; Enimverò, præterquam qvod nimium quantum angustis limitibus Naturaliū Legum Rationē includat, imò unā tandem Lege Jus omne Naturale definiri fatetur; (f) ecqvid est, qvod alio loco asserit? Leges Naturæ, qvæ in Aeqvitate, Justitiæ, Gratitudine consistunt, & ceteris morum Virtutibus, qvæ inde pendent, non propriè Leges esse, sed Qualitates solum ad Pacem & Obedientiam disponentes, cumq; jam Resp. est instituta actualiter, iūm primum incipere esse Leges, qvæ prius non erant. Oblit-

gan

(e) de Cive c. 14. §. 3. (f) Leviath. c. 26.

gantur enim, addit, ad eorum observationem non aliunde, quam ab ejus placito, cui summa rerum potestas est delata, & proinde, quae Naturae dicuntur, Civiles etiam Leges sunt. (g) Qvod certe, si recte aestimo, quid aliud est, dicere, quam Principem, qui nullis Legibus Civilibus obligatur, toties inculcante Hobbo, non etiam Naturalium Legum vinculo constringi posse, quo minus his contraire fuscipiat?

§. II. Sed non opus est, ut pro explicanda hominis sententia tripodem conscendat Pythia; ipsum audivimus afferentem, quod ab habente summam Potestatem nemini fieri possit injuria, quod abnegatio fidei salutaris, si fiat mandante Principe, licita sit; verbo: quod Principis sit statuere de ipsis Legibus Decalogi, definite actiones contra Naturae & Divina adeò Praecepta commissas. Enimvero, ut taceam, quod solus id doceat, injuriā non posse affici innocentem, absqve omni certe ratione & contra commune Juris Naturalis suffragium id docet. Injuriam quidem ex praecedenti pacto deducit, sed contra ipsius rei Naturam, definitionem molitur. Aliter & melius docent Moralium Interpretes, injuriam opponi Juris observantiæ, & complecti omnia, quae contra Jus admittuntur. Et cogitur concedere ipse Hobbes, sævitij posse lædi subditum, pariter & contumeliā; (h) quidvero crudelitas, contumelia, excepta à subdito, nisi injuria? Nam qvoties actio Moralis est, ad Justitiae sedem referenda simul est, & ex eo capite examinanda, & reponenda tandem vel in Juris vel in injuriæ classem. Equidem iniqvitatem distingvi vult ab injuriā; sed hæc duo quidem Vocabula sunt quoad sonum diversa, in ipsā tamen re idem notari, norunt omnes, qui latine loquuntur. Tandem injuriam esse, quod recte rationi repugnat, non quod contra pactum agitur, ipse alibi Hobbes affirmat. (i)

§. 12. Qvod deinde ad id attinet, quod dicit: Principi obediendum esse, mandanti negationem fidei; hīc velim in absurdo Dogmate, quod mandatum Dei humano jussui postponit, sibi ipsi ex alio loco respondeat Hobbes: Imperantium omnium, inquit,

Im-

(g) Lev. c. 13. Conf. m. de Cive c. 8. §. 7. (h) de Cive c. 8. §. 7.

(i) de Cive c. 3. §. 1.

-Imperator est Deus, & illi à Civibus praestanda est Obedientia,  
-quicquid in contrarium jubet Rex aeternus. (1) Ad postremum,  
in eo maximè fallitur Hobbesius, qvod Præcepta Decalogi ad  
Civiles Leges referre, eademqve à Potestate Principis suspendere  
non veretur. Sanè enim honor Parentibus exhibendus est, licet  
Civili Lege nihil adhuc sit constitutum. Potest forsitan Legisla-  
tor determinare qvædam objecta, observanda obedientibus libe-  
ris, sed in ipsum Præceptum vis *vetoq; etenim* non extenditur, qvòd  
haud liceat Majestati sancire, reverentiam Parentibus debitam ne-  
gandam esse. Ita homicidium absqve scito Principis prohibi-  
tum est, sicut & adulterium. Si autem occurruunt Leges de ejusmo-  
di rebus aliquid constituentes, hæ ad observationem spectant,  
non absolutam & arbitriariam lationem. Tenetur Princeps obser-  
vare has Leges, tenetur & operam dare, ut observentur à subdi-  
tis; hinc urget easdem, & repetendo inculcat; non tamen pro  
arbitrio, qvid sit adulterium & homicidium, definire potest, eo  
qvòd horum descriptiones naturâ cognitæ sunt, & judicium de his  
Principi soli non permittendum. Nunquam concesserim Hob-  
besio, afferenti c. qvid homicidium, qvid adulterium, & in univer-  
sum, quid sit *injuria*, cognosci ex Lege Civili, b.e. ex mandatis ejus,  
qui in Civitate cum Summo Imperio est. (m) Cognoscuntur hæc  
ex Jure Naturali, quo prohibentur. Prohibitio namqve Naturali-  
lis Legis, declarationem quoqve includit, unde fit, ut inter attri-  
buta ejus ponatur etiam evidētia, juxta qvam perceptis terminis  
statim assensum præbeat intellectus. Assentiri vero non possumus,  
nisi ei qvod capimus. Frustra esset Legis ingenitæ interdictum,  
nisi cognosceretur simul objectum prohibitum, nec ulla foret obli-  
gatio ejusdem, si cognitio ab Imperante deberet exspectari; qvia  
ignota, qvatenus talia non obligant. Dum igitur Hobbes ipse  
concedit, prædicta scelera Legibus Naturæ prohiberi, frustra di-  
cit, ea non naturali, sed civili Lege determinanda esse. Præter-  
qvam enim, qvod Legis authentica interpretatio ad latorem per-  
tineat, nec concedatur inferiori; exinde satis refutatur ea senten-  
tia, qvod nihil suâ naturâ honestum aut turpe relinqveretur. Quid

C

vero

(l) Lepiath. c. 33. (m) de Cive c. 6. §. 16.

vero si aliter negotium, determinet Civilis Lex, qvam ejus indeoles reqvirit? si Nero aut aliquis Caligula hominis innoxii cædem neget esse homicidium? sic tandem omnia scelera permittuntur, modò aliis nominibus insigniantur à Republicâ.

§. 13. Sed hæc illatio non est absurda Hobbo, qui Actionum Moralium bonitatem ad normam sententiae Imperatricis exigit. Ante enim Imperia putat, justum & injustum non existere, ut quorum natura ad mandatum sit relativa; &c. quin Reges quæ imperant, justa facere imperando, quæ verant, vetando injusta. Concedimus assertum de justis merè civilibus, sed de moralibus & naturaliter justis id velle affirmare nobis omnino absurdum videtur, & infinitis contradictionibus ab ipso Hobbo refutatum, quo fatente, Leges Naturales in Statu Naturæ extra Imperium obtinent, & æternæ ac immutabiles sunt; quod illæ vetant, id nunquam licitum esse potest, quod jubent, nunquam illicitum. (n) Si verò datur Lex, cuius æterna veritas est, si datur dictamen rectæ rationis extra ordinem constituti Imperii civilis, justum utique dabitur. Nam ubi Lex adest, ibi determinatur Justitiæ modus. Non ergo justum & injustum tum demum cæperunt, quum introducta sunt Imperia Civilia. Imò, si æterna est Autoritas Legis Naturalis; erronea sunt illæ omnia effata, quæ Imperanti permittunt judicandi de honesto & turpi facultatem. Si mutari nequeunt Legis ingenitæ scita, non dependebit dijudicatio à merâ voluntate Principis.

§. 14. Sed quoniam Hobbes hanc sententiam læsæ Majestatis criminis insimulat, atqve inter seditionis Principia reponit, negare velle, quod Regum tantum sit discernere inter bonum & malum; quin, opinionem eorum, qui docent peccare subditos, quies mandata Principum suorum, quæ sibi injusta videntur esse, exsequuntur, erroneam esse putat; & inter eas numerandam, quæ Obedientiæ Civili aduersantur. Hoc autem ut non sine ratione asservisse videatur, ex eo Principio deducit; quod subditus non posset judicare de rei bonitate & malitia; (o) (quamvis & hic multum sibi vicissim contrarij sit.) (p) itaq; videndum nobis est, sed paucis

admo-

(n) c. 3. §. 29. (o) Conf. loca supra cit. §§. 2. c. 6. (p) Conf. c. 6. §. 13.

admodum, de cognitione rei licitæ illicitæve; qvo modo nempe subditus dignoscere possit bonitatem aut iniqvitatem actionis præceptæ, & utrum omnino habeat illam judicandi facultatem. Sunt, qvi omnia superiorum iussa examinari ab executoribus volunt. (q) Cæterum qvia id affirmare habemus, turbulenter confusiones afflicturas esse Remp. in qvâ omnium præceptorum aut Legum ratio exponenda sit plebi, qvæ facile honestissima qvælibet ad turpitudinem interpretari potest, & denegare debitam superioribus obedientiam; ideo judicium omnium rerum haud permittimus multitudini. Nec tamen ex alterâ parte nullum arbitrium parenti cætui dandum est. Distinguenda præcepta sunt, & mere civilia separanda à moralibus, & iis qvæ sunt iuris naturalis. In actionibus civilibus, qvia jure absoluto imperare Princeps potest, atqye una voluntas præcipientis Regula actionis est, nescio an non placere nobis Lessii sententia debeat, qvi inter conditiones Obedientiæ cæcitatem numerat, non solum ad imperfectiones & vitia superiorum, sed & ad rationes præcepti scrutandas, ubi satis sit præcipi vel proponi ab eo, qvi locum Dei tenet, nec constat per se esse illicitum. (r) Qvorsum non etiam male præter Basiliū, laudat Gregorium ita differentē: *Vera Obedientia nec Præpositorū intentionē discutit, nec præcepta discernit, qvia qui omne vitæ suæ Judiciū majori subdidit, in hoc solo gaudet, si, quod fibe præcipitur, operatur, nescit enim judicare, qvisquis perfectè didicerit obedire.* (s) Addo autē & illud, qvod, qvoniā populū in Reip. negotiis ut plurimum passivè se habet, aut si concurrit in agendo, instrumenti vices subit, cuius non est, causæ principalis finem rimari, ideo nec facile cognoscere possit de ipsâ naturâ rei, qvæ agitur, cùm intentionem primarii agentis ignoret. Ut taceā deniqve, qvod è Republicæ commodo qvâm maximè sit, non omnium præceptorum evulgare rationes. Sæpe negotium celeritate perficiendum est, qvod omnem efficaciam amitteret cum amissâ occasione; qvæ non raro evolaret antè, qvâm edocta esset de ratione & congruentiâ cum sanâ mente multitudo. Non

C 2

er-

(q) Conf. Grotius L. 2. c. 26. §. 4. (r) L. 2. de Justit. &  
Jur. c. 46. dub. 4. (s) L. 2. c. 4. in 1. Reg.

ergò, qvod Hobbio facile concedimus, populo relinqvendæ sunt  
in rebus civilibus judicandi statuendiqve partes. Sed his Civi-  
libus non licet annumerare sanctiones morales, & naturales, in  
qvibus honestas aut turpitudo evidenter se ingerit oculis; Hic  
utiqve subditus separat ab illicitis concessi, à justis iniqva; qvod  
ideo accidit, qvia judicandi Principia connata habet; neqve verò  
credibile sit, discrimen honestorum atqve turpium frustrà inse-  
visse Naturam; nec ullius usūs esse omnem illam judicandi à  
Natura datam potentiam; qvod foret verò, si nullum unquam  
subseqvi deberet Judicium de objectis necessariis, adeoqve facul-  
tas illa naturalis non posset in actum deduci; Id qvod aliàs faci-  
li negotio peragitur, dum prolixa deliberatio aut subtilis & anceps  
disputatio haud reqviritur; spontè enim suā honestas apparet,  
& omittendorum turpitudo patescit. Quid verò tum faciendum  
subdito sit, ubi de re ab Imperante præceptā dubius fluctuat sub-  
diti anintus; qvales sāpe occurruunt actiones, de qvarum, bonita-  
te non semper judicare possumus ex illis communibus Naturalis  
Juris Principiis, sed educendæ sunt Conclusiones ad definiendam  
actionem; in eo major utiqve residet difficultas; qvam nunc di-  
rimere nostrarum partium non est, sed ad eos pertinet, qui ex in-  
stituto de subditorum Officiis atqve debitā superioribus Obe-  
dientiā disqvirunt. Conf. tamen potest Cicero, (t) & ex Mo-  
ralistis Franciscus de Oviedo, (u) Paulus Laymannus, (x)  
Ferdin. de Castro, (y) Lessius; (z) Adde etiam H. Grotium, (a)  
eiusqve Commentatores, (b) & alios complures. Sed tem-  
pus est, ut receptui canamus.

§. 15. Illi non etiam penitus nobis negligendi sunt, qui  
prudentiorem esse malunt, qvam justi atqve æqui amantem Prin-  
cipem. Transeat Hetruriæ Doctor; Lipsio succensere supra de-  
bui. Neqve est, qvod absqve ratione egisse videar; maculam enim,

(cum

(t) I. de Offic. (u) Tr. 5. Cont. 3. § 4. (x) Theol.  
Mor. L. 1. T. 1. c. 5. (y) Oper. Mor. Part. I. Disp. 2. Punct. 6. (z)  
L. 2. c. 41. dub. 9. de Just. & Jur. (a) L. 2. c. 26, §. 4. de J. B. & P.  
(b) ad l. c. (y)

(cum Bœclero loqvor (e)) gravissimi operis non levem ducō, com-  
fusa cum artibus licitis flagitia Dominationis & scelera, quæ ali-  
quando admittit, aliquando svadet, aliquando commendat. Speci-  
mina rei darem, sed qvid opus est, post Bœclerum actum age-  
re? Palmarium locum referam, qvi, qvid Lipsio animi fuerit,  
facile aperiet. *Fraus universè mibi est, inquit, argutum consilium*  
*& virtute aut legibus devium, Regis Regnig, bono.* Ea triplex &  
levis, media, magna. Illam appello, quæ hanc longè à virtute  
abit, malitiæ rore leviter adspersa; in quo genere mibi est diffiden-  
tia & disimulatio. Mediam, quæ ab eadem virtute flectit long-  
ius, & ad vitii confinia venit; in quâ pono conciliationem &  
deceptionem. Tertiam, quæ non à virtute solum, sed legibus  
etiam recedit, malitiæ jam robustæ & perfectæ, uti sunt perfidia  
& injustitia. Illam svadeo, hanc tolero, istam damno. (d) Quæ  
verba cum repeto, id ingenuè tamen fateri necessum est, qvod  
credamus, meliora aliquando sapuisse Virum alias in Politicis re-  
bus egregiè doctum; In Monitis enim Politicis, cùm hæsitan-  
tem Conscientiam ex vero magis confirmasset, fucum omnem &  
fraudem dissavadet; (e) & à Theodoro Coornhertio accusatus  
Machiavellismi, qvo ad fraudes, homicidia, perjuria Principibus  
præiret, respondet: (f) Testor Deum & homines, post calumni-  
am naram turpiore & apertiore calumniam neminem petitum. E-  
go illa probo aut preeo? *Quin disertò clariq, verbis damno, dete-  
ctor, repudio; nee nisi ut damnarem, unquam illa scripsi.* Sed  
qvid de Naudæo dicam? reliqvos enim nunc tacere liceat. Ille  
inane ratus, Prudentiam aliquam mixtam, quæ Lipsio placuerat,  
communisci, ad genuinam Prudentiam, qvam Principi svadet,  
ea refert, quæ suā naturā manifestè mala sunt, & non sine gravi  
crimine committuntur. Perfidiam & Injustitiam quis sanæ mentis  
non damnet, atrocissima nempe scelera, qvibus & Deo illuditur,  
& humana interturbatur Societas? At Naudæus hæc ad ordina-  
riam pertinere Prudentiam judicat; Politicos erroris accusat, qvod  
in definiendis arcanis Reip. illi asserant, Arcana hujuscemodi

C 3

ne-

(e) *Dissert. de Polit. Lips. p. 415.* (d) *Polit. L. q. 1, 14,*  
*§. 2. sqq.* (e) *L. 1, c. 7.* (f) *in L. do unâ Relig. p. 43.*

neque Jus commune transgredi, neque fraudis & injustitiae suspicionem movere. Quid ipse veram Arcanorum Statūs naturam & rationem aliter capiendam, nec tam angustis includendam finibus arbitratur. Hinc est, quod Nuptias Parisinas pro exemplo habet Prudentiæ, quæ Principem maximè deceat; quod Lutherum non cùdem ratione, ac Joh. Husum è medio sublatum, maximè conqueritur.

§. 16. Ego verò non hæc ex Prudentiæ lege, sed calliditatis & Vafritiei Principibus svaleri posse autumaverim. Prudentiam in genere definire solent Philosophi, quod habitus fit agendi cum rectâ ratione. Quod si verum est, Principium dirigenς Prudentiam quid erit nisi Ratio? Rationem autem interpres, rectum & verum Judicium (loquor enim de sanâ ratione) de rebus ex Naturalibus Principiis, & Lumine ac Lege Naturæ de-promptum. Lex autem Naturæ ipsa Lex Dei est, aut potius Legis illius æternæ & Divinæ radius ad vitam regendam nobis relictus, quo discernimus, quid naturâ suâ bonum & faciendum, vel malum & fugiendum sit. Non potest ergo recta Ratio eorum aliquid admittere, quæ cum Divinâ Lege non conveniunt. Si hoc, vel nova nobis fingenda Prudentiæ ratio est, vel à Prudentiâ exulae debebit omnis decipiendi nocendique conatus.

§. 17. Sed forsitan hæc non placent iis, quibus ex scholâ petita omnia fordere solent: *Civilis Discipline non esse idoneos auditores, qui in scholâ & umbrâ versantur*, præunte si credere fas est, Aristotele, fateri Lipsius necessum habuit. (g) Quid ergo sit Magister nobis ipse Lipsius; atque ille *Prudentiam*, quam *Politican* appellare solemus, intellectum & dilectum rerum, quæ publicè privatim fugiende aut appetendæ sunt, definit; (h) an fidem ci negare poterimus, delectum rerum ita explicanti, quod *eadem Prudentia honesta à deterioribus recto judicio discernat?* (i) Perfidiam verò & cum fraude conjunctam calliditatem nemo manus inter honesta retulerit. Hæc ergo à Prudentiâ ab ipso Lipsio descriptâ longissimè recedunt.

§. 18. Sed ita fortè æstimas; non vulgarem, sed mixtam esse

(g) L. 4. c. 13. §. 21. (h) L. 1. c. 7. §. 5. (i) ibid.

esse Prudentiam, quæ velit Principem, alto quidem splendidoq; In-  
genio, sed tamen eruditum utilia honestis miscere; (l) Unde etiam  
et homines ignorent, quifas non putant, Rationem bono consilio à  
Diis immortalibus datam in fraudem malitiamque converti. (m)  
Aut forsitan extraordinaria placet Naudæ Prudentia, quæ circa  
arcana statūs occupatur, qualia ipsi sunt transgressiones Juris  
communis propter salutem publicam, arcanis et secretissimis consiliis  
agitata, et ab executione omnibus inopinatâ incipientes &c. (n)  
Enimvero, si ita res habet cum Prudentiâ, jam mirari non su-  
beat, si virtutem ejusque oppositum vitium uno eodemque con-  
ceptu contineri posse dixero. Nihil est amplius, quod dicas,  
virtutis finem semper bonum esse, & quas ad propositum tenen-  
dum vias eligit, eas cum rectitudine & honestate consentire.  
Namque hæc Prudentia vel finem malum eligit, vel ad finem  
bonum viis matiis pervenire nititur. Falleris Macrobi, quod cre-  
dis, Politici Prudentiam esse ad rationis normam, quæ cogitat, quæq;  
agit, universa dirigere, ac nihil præter rectum velle et facere, hu-  
manisq; astibis tanquam Divinis arbitris providere. (o) Neque  
satis prudenter ex horum hominum placitis Virtutem discernere  
à vitio intellexisti Cicero, cum ait: *Quod qui parum perspiciunt,*  
(id quod honestum ab utili separantes) *hi sepe versatos homines et*  
*callidos admirantes, eorum malitiam sapientiam iudicant, quorum*  
*error eripiendus est, omnisq; opinio ad eam spem traducenda, ut*  
*honestis consiliis justisq; factis, non fraude et malitia se intelli-*  
*gant ea, quæ velint, consequevi posse.* (p)

§. 19. Itane vero, dices, omnia tandem intima & recondita  
consilia, atque ultra vulgi ingenium porrectas regnandi regendi-  
que populum rationes, damnabimus, quæ faciunt tum stabiliendæ  
Reip. tum saluti eorum, qui dominantur atque parent, conservan-  
dæ? Absit vero id asserere; Exulent modò Dominationis, quæ  
Tacito dicuntur, flagitia aut scelera regnandi, [q] ego hic faci-  
le

(l) Lips. L. 4. c. 13. §. 11. ex Tacit. Agric. 8, 1. (m) Lips. l.  
c. §. 2. ex Cicer. de Nat. Deor. c. 31. (n) Conf. de eo Scriptum sub-  
tit. Polit. Bedecken. über die Staatsstreiche (o) L. in Somn. Scip.  
c. 8. (p) L. 2. Off. §. 10. (q) Tacit. L. 14. Annal. c. ii.

le assurgam Lipsio, quod Ius atque fas sit interdum in turbido hoc  
verum humanarum pelago, obliquare sinus; & si rectâ portum te-  
nere nequeas, id ipsum mutatâ velificatione assèqui, praeunte Ci-  
cerone. (r) Quid in eo quād maximē falli haud paucos arbitror,  
quod in rebus, quæ non habent naturalē aliquā aut moralem ad ho-  
nestatem vel turpitudinē determinationē, distingvere inter eorum  
actiones nesciunt, qui imperant atque parent, unde fit, ut pro illicitis  
sæpe habeantur, quæ observari ab Imperantib⁹ diligentis prudentiæ  
est. Eleganter Tullius; (nisi fortè aliā honestatis rationē insinuare  
voluit.) Videntur quædam in honesta, inquit, quæ in honesta non sunt.  
Multæ, quæ naturā honesta videntur esse, temporibus sunt non hone-  
sta; sæpe tempore fit, ut, quod plerumq; turpe haberri soleat, inve-  
niatur non esse turpe. (s) Sunt certè, qui putant, non esse liberalis  
animi, consilia quædam occultare; ego verò ipsummet Deum non  
nisi sensim Arcana sua Decreta, quæ necessaria ad hominum salu-  
tem erant, Orbi sapienter patefecisse, arbitrari debo. Omnia  
sine discriminē omnibus prodere, non liberalitas fuerit, sed quæ  
dam prodigalitas; queniam & inutile id esset, cum non ab omni-  
bus omnia capiantur, & summè noxiū, ut nunc quidem est hu-  
manum ingenium. Pari errore iaculaveris omnem dissimulatio-  
nem, quippe quæ ex Societate humanâ planè iisdem de causis tolli  
nequit. Quod usq; adeo liquet, ut Augustino rigido veritatis  
exactori, eo ipso loco, quo mendacium omne damnavit, tale di-  
ctum expressum sit: *Licet Veritatem occultare prudenter sub ali-  
q; dissimulatione* (t) Absit verò dissimulatio, quā datā fides fal-  
litur, aut quæ in universum cum iniqvitate conjuncta est, non ma-  
lè jam monuerit Epicharmes: *ναρές οὐδὲ μέμναστ’ ἀπιστῶν, τὰυτα  
νεῦεται τῶν φρεγάνων.* Sic Leges quoq; Civitatis non observare,  
quin & mutare has freqventer, & pro aliis abrogatis novas insti-  
tuere, videtur quandoq; non sine civilium rerum turbatione posse  
fieri. At si ita exigat usus publicus, quo uno fere constat Legum  
**Civilium Justitia**, quidni istiusmodi mutatio deceat prudentem  
**Principem?** Nemo quidem temerariam & facilem quamq; Le-

gum

(r) ad Lentulum L. 1. Epist. fam. Ep. 9. (s) L. 3. de Offic.

(t) L. contra Mendac. c. 10.

Legum variationem laudaverit, sed eam tamen culpare velle, qyam exigit Lex suprema Civitatis, ingenii fuerit rem politicam parum intelligentis. Stultum verò sit, Remp. ad Leges semper componere, & non potius Leges ad Rem publicam. Est autem hæc non unius semper vultus, sed mobilis hoc illuc, ut humanæ res omnes : Præclarè Cicero : Stare omnes debemus, tanquam in Orbe aliquo Reipublicæ, qui quoniam versatur, eam diligere partem, ad quam nos illius utilitas salusque converterit. (u) Usque adeo hæc & alia, quæ sæpe damnantur in Principe, in benignum sensum trahi faciunt illud Jasonis : ὡς ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μηρά τὸς ΒΥΛΟΜΕΝΥΣ τὰ μεγάλα δικαιοπρεγεῖν ; ut & illud Taciti : (\*) Habet aliquid ex iniqvo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.

§. 20. Quod cum dico, nolim tamen quisquam sibi persuadeat, me velle aliquid detractum Imperio Virtutis, quod forsitan à Prudentiæ arbitrio Leges sibi præscribi, & limites definiri perpetuò requirat. Imò verò placet, quod eleganter & ex vero ipse Lipsius, cum Vitam Civilem definitisset: *Huic, inquit, duos Rectores tribue, Prudentiam & Virtutem, illam ex plurimum mente; sed & hanc ex mea, qui Civem verè bonum nullum arbitror, nisi & Virum. Sine Virtute calliditas ea sit & malitia, & quidlibet potius quam Prudentia; cuius clavis et si propriè Vitam Civilem dirigit, non tamen sine usu & auxilio illius Magnetis.* (x) Quod quam ex tripode dictum sit, prolixè demonstrandum mihi sumereim, neque id præter instituti rationem, nisi Th. Bozlius, (u) & Petrus Ribadeneira (z) laborem nobis omnem præoccupassent. Qvibus Viris ut maximè sua laus deneganda omnino non est, cùm egregium Opus aggressi, Machiavellistica Consilia intervertere conati fuerint; id tamen vix permittere habeo, quod ad præsens argumentum spectat summoperè; quod illi omnes Principatus solis bonis artibus haberi posse & habendos esse persuasi fuerunt; levius licet aberrantes, atque ipse Florentinus Doctor,

D qvì

(u) *Orat. pro Planc.* (\*) 14. Ann. 44. (x) *L. 1. Polit. c. 1., §. 4. & 5.* (y) *Libris de Imperio Virtutis.* (z) *Opere de Principio Christiano.*

qui omnem Principem, si salvus esse velit, debere etiam non bonum esse arbitratur. (a) Sanè enim, quemadmodum fatendum est, non bonis duntaxat, sed malis etiam artibus Imperia atque Principatus comparari; quin quædam Imperia non aliter quam per scelera aut dishonestas artes parari potuisse; ita & illud non inficias iverint cordatiores, quod justa atque injusta possint interdum ad Imperiorum conservationem facere; imò, quod multa Imperia, sed iniquè parta, per solas bonas artes conservari facile non possint. Ubi verò illud non negligere debeo, quod verum sit; solis tamen artibus malis nullum Imperium, quamvis etiam scelere paratum, servari; (quod nescio annon tandem Machiavello quoque in modum venerit; (b)) quod & Imperia, quæ per scelera cœperunt, aut dishonestis artibus student res suas tueri, raro diuturna sint, quin potius dishonestas illas artes plerumque vel causam vel occasionem ruinæ dedisse, non paucis hactenus constiterit exemplorum tristium documentis. Ad postremum id fatendum est, Imperia justè parta, ne sis quidem exceptis, quæ utilitatem dominantium primariò spectant, non indigere ad sui conservationem dishonestis consiliis, nisi forsitan id omne, quod naturalis Juris aut ipsius Dei concessione & ordinatione est acquisitum, sine ejus læsione servari, conctaque adeò Imperia sine crimine administrari non posse, satis non dicam improvidè, sed impiè etiam asseveraveris; quo admisso omne tandem Imperium non posset non aut prohibitum Supremo Imperanti, aut exosum omnino esse.

§. 19. Quod ipsum si penitus in animum demitterent, qui scelerum Principis impunitatem Prudentiae, quæ necessitatī pareat, adscribunt, graviter adeò hallucinati non fuissent. Neque enim iam est, quod nobis oggianiant, non posse non fieri, quin Principi in eo quandoque statu versandum sit, ubi rationes anxiæ temporum deflectere nonnihil à communi Regula jubeant, imò, quod Lipsius afferit: Necessitatem, magnum imbecillitatis humanae patrocinium, omnem Legem frangere. (c) Ego verò nec

(a) de Principe c. 15. (b) in primis c. 8. L. cit. (c) L. 4.  
Pol. c. 14. n. 91. ex Senec. Declam. L. 9. decl. 4.

nec urgente necessitate crediderim, malis pro obtinendo fine  
quocunque adminiculis uti satis tutò posse Principem, cùm nec  
in tali statu ista naturam mali deponant; quale verò eligere velle,  
Imperantibus Iuadendum non est, nisi humanae potius quàm di-  
vinæ directioni salutem Regni credere, malo utique instituto  
præsumas. Id quidē fateor, quod scite nervosissimus Savedras:  
In eo totam ferè consistere Politicam, ut recte discernere quis norit  
tempora, & iis uti, interdum enim citius in portum tempestas de-  
vebit, quam malacia. Fruantur, inquit Mazarinius, Pace Maje-  
statis vestra, quam Presentia mea turbo: cedant necessitati, que  
frangit omnem Legem. Mille Mazarini pretio patis unius horæ,  
& pretio vel momenti tranquillitatis Regni vestri, indigni, imò in-  
dignissimi: (d) Enimverò id non eò interpretari licet, quasi  
temporum necessitates excusandis delictis Principum possint  
sufficere, sed quod cedendum prudenti Principi ingravescenti-  
bus malis sit, si evitari non possunt, imitando nautas, qui tem-  
pestati resistere non valentes, eedunt fluctibus, demittunt vela,  
& patienter se ab undis jactari ferunt, circumspicientes interea,  
ut sinum aliquem reperiant, in quo lateant; aut si hujusmodi  
receptaculum invenire non datur, variis & flexuosis utuntur  
cursibus, ut ad ventorum fatus sese accommodantes, super flu-  
ctibus eleventur, seque in aliud tempus conservent. Tandem  
concedam Principibus atque largiar, ut utilitati Reip. & suo e-  
tiam ipsius commodo velificari instituant; scio enim & intel-  
lico, quod usu Reip. metienda sint civilium actuum momen-  
ta; verum si sub hoc mangonio Machiavellicæ Rationi Status,  
quam egregiè depingit Satyricus nostri Seculi Michael Mosche-  
rosch (qui sub nomine Philandri à Sittenwald latitare cupiebat)  
tantum inservire statuerint; ego illud asseverare non dubito, nh.  
verè conducere statui alicui justo, quod non etiam honestum sit.  
Multæ nb. imponunt specie utilitatis, quae utilia non sunt, &  
paulò post majore danno læsam ad breve tempus honestatem  
quasi vindicant. Quod alias est probatum facillimum, maximè,

cùm  
(d) In Orat. ad Regem & Reginam, quam refert Hier. Im-  
Hoff. Disc. Pol. XIII.

cum iam tum à viciis doctis ostensum sit, in universum nihil in vita omni esse utilius, atque in opinione esse virtutis. Hanc autem nemo temere assequitur, nisi sit, qualis haberi velite; de quo eleganter differentem Tullium conferre licet. (e) Imò, si rectè rem æstimamus, momentaneum illud commodum est, & majore malo statim nocet; non dicam de Naturæ humanae infictâ labe, aut comitante Divinâ pœnâ, sed bona fama saltem detimento, quâ in omni vita etiam Rebuspubl. & Potentissimis Regibus, ad res augendas, imò & firmandas, nihil est utilius; quoniam hæc maximè conciliat animos hominum, & ad usus nostros adjungit; absqve benevolentia vero nihil in vita præclarū aut stabile potest effici. Gaudet igitur dñs; suo sensu Trasymachus, qui Justitiam definire satagebat τὸ κριτήν οντος σύμφερον, ipsam autem Virtutem generosæ stultitiae titulò deridebat; (f) Pronunciet Euphemus Atheniensum Legatus: *Viro Principi & Urbi Imperium tenenti nihil inconveniens esse, dum utile, nihil amicum, nisi fidum.* (g) Ego Principis & Reip. salutem in Virtutis palladio repositam cum cordationibus merito æstimavero. Sed abrumpendum est; quæ de eodem, quod hactenus tractavimus, arguento, ad speciales casus applicato, prolixè adhuc dici possent, peculiari considerationi cum bono D EO reservamus.

Tantum!

(e) L. 2. de Offic. (f) Plato L. I. de Legibus. (g) Thucydid. l. 6.



Coll. diss. A. 32, misc. 13